

PRAEFATIO.

esset uel otii, uel bonae ualitudinis mihi, quantum recognitio & politioq; operis eius postularet. Est enim satis adhuc deformis & horridum illud, quod erudito hoc seculo, risum, non gratiam, si publicaretur, inueniret. Caeterum tu scis, qd; in ista deficientis meae aetatis infirmitate raro ferias habeam à Podagra, qd; multiplices ad hoc curae animi meum, uisco quasi impeditum detineant. Fuit aliquot iam Mensibus res mihi, non cum Vrania, sed cum Orco, id quod arbitror Vendelingium ad te etiam perscripsisse. Nondum autem ita firmiusculus sum, ut in castigando libro, ferre laborem ingenio tam delassato me posse confidam. Visum propterea est expedire mihi, pariter & Genero meo D. Ioanni VVustio Iureconsulto, eidemq; Ducali Consiliario, ut ipse tu, cuius iudicio in Mathematis, alijsq; bonis artibus plurimum delector, negotium in te recipias absoluedi perpoliendiq;, quod ipse inchoauit, laccerumq; & imperfectum reliqui. Nullam teneo rationem aliam, quam pacare flagitatores istos meos queam. Quod Fabius igitur, missus ad Triphonem opere, mandauit, hoc ipsum quoq; ad te Iacobe hic dictum puta. Neq; enim minus fiduciae repositum habeo in fide & diligentia tua, quam in Triphonem ille. Resectuas itaq; si me amas, siq; licet, occupationes, omnibusq; adnitere neruis, ut quam emendatissimum hoc iuris iam tui factum opus, per te prius abbreviatum; & correctum, in studiosorum manus ueniat. Famam ipse nihil moror, id unum spero, ut qualibuscunq; his lectionibus communes utriq; nostrum cognati, adeoq; Scholae huius nostrae alumni, ad colendas has Musas excitentur. Stylo, quod uel me tacente quisuis uidet, prorsus nihil indulget. Neq; uolo, ut hac de re, tu etiam sis ualde sollicitus. Qui percipiendae artis culuspiam tenentur studio, haud ita multum curiosi sunt, quo Idiomatico, quae elocutione eius sit artifex, fidem potius hi, & quod arte ipsa comprehenditur, discere affectant. Neq; puto in ea esse te sententia, qua fueras olim cum Arabum Astrologos reijceres, quod in illorum libris, alieno sermone res uelatas, non adsequereris, sensuumq; uilitate in uniuersum illos fors delicere